



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac  
Vita Existentes, Firmata**

**Stengel, Georg**

**[S.l.], 1645**

§. 4. Bonitas diuina, etiam in operibus, quibus de condigno nihil debetur,  
remunerandis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

ne omnino operata es? Dixit ei: Non, nisi quòd, videns quendam, qui à creditoribus premebatur, se suffocare volentem, datà illi omni substantià meà, liberaui illum. Et his dictis, continuò obdormiuit in Domino. Tunc Episcopus glorificans Dominum dixit: *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.*

## §. IV.

*Bonitas diuina, etiam in operibus, quibus de condigno nihil debetur, remunerandis.*

Hoc baptismo vel meretrici, ante mortem, diuinitus procurato; non tantum mirabilia & arcana Dei iudicia illustrantur; sed etiam erudiuntur illi, qui, quæ olim piè gesserunt, frustra, esse gesta existimant. Bonus est Deus, etiam illorum operum non obliuiscitur, quæ mortali delicto extincta sunt. Illis enim etsi cœlum non debeat: enimuero etsi de condigno nihil omnino debeat, tanquam Dei inimicis, nisi pœna; congruum tamen existimat Deus, vt aut bona recipiant in vita sua; cum Epulone illo, aut vt illis aliunde via ad cœlum aperiatur. Et quis inennarrabilem bonitatem illius dignè admirari, quis pro ea dignè gratias agere queat? ait Blossius. Nam cum nemo ad salutem perueniat, qui non vel tantillum charitatis habeat,

vt est

Luc. 16.  
25.  
Ludouic.  
Blossius  
in Cano-  
ne vit.  
spirit. cap  
2.

ut ex amore Dei, saltem in extremo vita positus, poenitentiam agat, auerseturq; peccata: ecce ipse misericordissimus hominumq; amantissimus Deus, saepe se usq; adeo benignum & amabilem etiam desperatissimis peccatoribus (quos alicuius virtutis merito insignitos esse cognoscit) sub mortem exhibet, ut illi ex intimis precordijs doleant, quod offenderint tam pium Conditorum atq; Redemptorem. Per quam nimirum poenitentiam, apti redduntur ad salutem consequendam; & peracta tali peccatorum purgatione, qualem diuina iustitia quaesierit, in aeternum caelestis regni gaudium introducuntur. Profecto in altissimo secretissimoq; profundo latet fons ille inexhaustus, unde tanta pietas ad nos dimanat; unde tanta misericordia super nos effunditur: de qua qui desperat, Deum bonum & veracem esse negat, in Spiritum sanctum blasphemus: Haec ille.

§. V.

Nulli, ob opera à se praestita, presumtuose agendum, nulli desperandum esse.

At ne, qui vel eleemosynae, vel alterius cuiusdam boni sibi operis conscius est, temerarie praesumat, sibi que certo Numinis gratiam promittat, etiamsi in grauia scelerata prolabatur; sciat multos, immo pluri-

mos